


ANN. XVII - FASC. III

MENSE MARTIO MCMXXX

# ALMA ROMA



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

### PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

#### Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Martio MCMXXX

Fasc. III

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

## AESTHETICAE NOTAE

### De pulchro universo.

Quaestio, eademque non simplex, late agitata est de pulchri amplitudine; utrum scilicet singula, quae sunt, pulchra sint, ac proinde utrum pulchri notio competit nec ne omnibus rebus, et de iis aliqua saltem ratione merito praedicari possit. Haec notio et praedicatione *transcendentalis* vocatur, prout *transcendentalis* a philosophis scholasticis notio ac praedicatione unitatis, veritatis, bonitatis habetur.

Non una quidem est in re doctorum sententia; sunt enim qui pulchro huiusmodi notionem denegant: pulchritudo - aiunt - rebus dumtaxat perfectis, congruentibus atque splendidis convenit: multae autem res ex genere suo (re ipsa) diminutae, inordinatae sunt ac saepissime pallidum vel dilutum circumferunt colorem; ergo omnibus rebus pulchritudo non convenit. Apud plures ita opinantes ambiguas quaedam et confusio obrepit; imprimis igitur status quaestionis rite est exponendus, ut quid hac in re iudicandum sit, clare innotescat.

Nos autem affirmamus:

a) quaestionem hic versari circa pulchrum naturale tantum, quia de pulchro

arte facto sermonem hinc instituere non est locus;

b) nullimode versari circa pulchrum adeo subiectivum, quod a diversa et singulari gustus natura necessario pendeat: quot enim capita, tot sententiae;

c) nec versari circa pulchrum omnibus absolutum numeris, nec non aequediffusum in cunctis rebus: etenim talis distributio nec physice nec metaphysice fieri potest, neque « *transcendentis* » diceretur. Haec est absurdum et impia pantheistarum sententia, qui non aliud pulchrum esse dicunt, nisi *absolutum per essentiam suam*: ideoque pulchra per participationem infinitae pulchritudinis esse negant; immo vero pulchra *in se et distincta* a Deo asserunt.

Quaestio igitur tota versatur circa pulchrum obiectivum seu « *ontologicum* », quod in rebus creatis adest diversa mensura et perfectione secundum diversos modos, quibus « *esse* » in illis invenitur. Unde praedicatione *transcendentalis* est semper *analogica*, non autem *univoca*: id est diversa ratione seu virtute omnibus rebus competit.

Hisce praemissis, contendimus, omne, quod est, esse pulchrum. Integritas, enim, proportio et formae claritas in omnibus rebus convenient; namque elementa haec sunt attributa non extranea rerum naturae, sed utique principia quae ipsam naturam

constituent et cum ea converti possunt. Atqui specifica pulchri natura in integritate, proportione et claritate formae consistit; ergo omnia pulchra sunt et praedicari debent.

Aliis verbis, in nulla natura aliquod principium seu elementum ad ipsam efficiendam requisitum, vel necessarius ordo inter suas partes, vel debita claritas formae deesse penitus potest; secus ipsa natura evanesceret. Ideoque in nulla re pulchri ratio deficere potest; ac proinde ne fieri quidem potest, ut quisquam naturam rei cognoscens, rationemque pulchri intuens, suavitate, admiratione et delectatione non afficiatur.

Idem argumentum clarius ex hoc etiam apparent: Deus est auctor omnium rerum; idcirco res sunt quaedam exemplaria effecta, simulacula, participationesque divinarum perfectionum. Deus autem, summa pulchritudo et sapientia, omnipotens Ar-tifex, deformia opera non creat. Manifestum est igitur omnia quae sunt, pulchra esse.

Haec quidem veritas quo magis magisque refulgeat simulque difficultates prae-caveantur, haec, quae necessario sequuntur perpendere opus est:

a) Omne quod est, distinete consideratum, simpliciter pulchrum est, et per sui spectabilem ostensionem ad contemplantis delectationem ordinatum est. Attamen actione causarum secundarum quaedam individua a naturali perfectione et pulchritudine possunt ex parte deficere. Ideo-que non omnia, pro se quaeque accepta, *simpliciter et perfecte* pulchra dicenda sunt, sed *secundum quid et imperfecte*.<sup>1</sup>

b) Omne quod est, quatenus referunt ad intellectum Dei, est pulchrum. Omnia

enim recte subiacent contemplationi Dei, qui est causa prima efficiens, exemplaris et finalis totius creatae pulchritudinis. Verum non omnia sunt pulchra, quatenus referuntur ad intellectum humanum. Non enim humana mens ea contemplanti virtute gaudet, ut possimus omnem et adaequatam universi pulchritudinem in singulis obiectis intueri, ac intuendo ea oblectari. Debole rationis lumen non clarificat omnem typum, quem Deus rebus impressit. Hinc est, non naturam quamvis, *in se pulchram*, ita vividius facultatem nostram percellere, ut in sui contemplatione defixam teneat eamque delectet.

c) Propter debilitatem facultatis contemplativis multa haud pulchra apparent; ita quaedam animantia vulgo nobis sunt horrore, dum naturae cultoribus delectationem cieunt. Ideoque si quaedam, etiam distinete considerata, deformia apparent, hoc arguit rudem gustum in contemplante, qui externam tantum formam vel propriam utilitatem respicit, non vero internam et mirabilem illam pulchritudinem, quae in omni natura viget.

Quum igitur de universalitate pulchri loquimur, animadvertisendum est eam non esse pro omnibus aequa adspectabilem. Saepe saepius integritas et convenientia partium aliqua in re tam intimae et reconditae sunt, tam delicata earum est claritas, quae egregiam et perexcultam exigunt in spectatore gustus facultatem. Itaque nil mirum, si lippis aut caecis pallens aut nulla sit lux, quae nitens et superabundans sanos acutosque oculos delectare solet.

Denique addimus, deforme absolutum, nempe ex omni sua parte, non dari; sed aliquale pulchritudinis vestigium exhibere,

<sup>1</sup> *Simpliciter* sub omni respectu; *secundum quid*, sub quodam tantum respectu rem talem esse significat. Quod hic dicitur de *pulchro*, dicitur etiam de *vero*, de *bono*, etc. Ex gr: «Id quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter; quod autem non

habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem, in quantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid». S. THOMAS, *L. Theol.* p. I, q. V, a. I, c.

unde deforme in pulchro fundetur, perinde ac omne falsum et malum in veritate et bonitate.

Giobertius, ontologus et nimis pantheismo idealistico Hegeliano indulgens, suam doctrinam de naturalis pulchri amplitudine principiis theologis-revelatis perperam conciliare nititur. En specimen eius affirmationum: «Pulchrum *expletum* praesens fortasse non reperitur in ullo naturae opere; pulchrum fuit vitiatum et diminutum ab arbitrio humanae voluntatis; arbitrium, quod preeminet inter humanas facultates, universitati naturarum regia potestate imperat; adest compositio inter varias vires telluris et facultatem principem (arbitrium); defectio et aberratio arbitrii fuit prima causa, per quam deforme, quod est malum aestheticum, terrarum orbem invasit, omnes eiusdem partes complexum est, ad nihilum redegit formarum venustatem, aut saltem imminuit obscuravitque.»<sup>2</sup> «... mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate et visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus, et factum se esse, et non nisi a Deo ineffabiliter et invisibiliter magno, et ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se proclamat». <sup>3</sup> «Ita ordinantur omnes officiis et finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat; quia nec in aedificio iudicando unum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronunciante solum digitorum motum, nec in lunae cursu aliquas tridui tantum figuram». <sup>4</sup> «Neque enim Deus ullum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem saeculorum tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi anthiteticis honestaret... Sicut ergo ista contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione saeculi pulchritudo componitur». <sup>5</sup> «Quod offendit in parte, perspicuum sit homini docto, non ob aliud offendere, nisi quia non videtur totum, cui pars illa

At vero huiusmodi *universalis defec-tionis* assertio, nullo rationali fulcitur fundamento. <sup>6</sup> Etenim natura rerum non subest arbitrio humano, sed pendet a ipsa incommutabili essentia divina.

Haec verissima de pulchri amplitudine doctrina quam maxime auctoritate Augustini corroboratur atque illustratur.

S. Doctor saepius de pulchri universitate loquitur; non pigeat ergo praecipua illius dicta meditari. Loquens adversus Manichaeos haec habet: «Solent etiam istam Manichaei movere quaestionem ut dicant: Quid opus erat ut tam multa animalia Deus faceret sive in aquis, sive in terra, quae hominibus non sunt necessa-

<sup>1</sup> V. GIOBERTI, *Del Bello e del Buono*, Cap. 7, pag. 122, 123.

<sup>2</sup> Si quis cupiat plenam GIOBERTI refutationem, adeat S. AUG. *De Civ. Dei*, lib. XX, cap. 24, n. 4, 5, ubi multimodam et variam mundi pulchritudinem diserte commemorat.

<sup>3</sup> *De Gen. contra Manichaeos*, Lib. I, cap. XVI, n. 25, 26.

<sup>4</sup> *De Civ. Dei*, lib. XI, cap. IV.

<sup>5</sup> *De Vera Relig.*, n. 76.

<sup>6</sup> *De Civ. Dei*, lib. XI, cap. XVIII.

mirabiliter congruit». <sup>1</sup> «Omnis corporea creatura... bonum est infimum et in genere suo pulchrum, quoniam forma et specie continetur». <sup>2</sup> «Omne igitur quod est, sine aliqua specie non est». <sup>3</sup>

G. LEPORE.

IN MEMORIAM  
IOANNIS BAPTISTAE FRANCESIA

Qui primam hanc principemque Beati Ioannis Bosco domum frequentabant, sacerdoti saepe occurserunt gravi atque hilari, qui statim intuentium oculos in se convertebat. Canis enim capillis, subcandido vultu, candidissimo risu, sermone, candoris imaginem referre prorsus videbatur; illius, inquam, candoris, qui ex animo per corporis membra veluti radios fundit laetitiamque omnibus affert. Unus ipse supererat ex iis, qui firmitus Beato Ioanne Bosco magistro ac duce familiariiter, paene dixerim, usi sunt. Quae nunc lux subito adempta est. In cubiculo suo parvulo, quieti apto, mundissimo, senex alacer ac periucundus diem obiit supre-

Augustae Taurinorum, postr. kal. Febr. MCMXXX.

I. CERIA.

Latinae adnotatiunculae

**Acclinis, Acclivis, Reclinis.** — «Acclinis» saepe depravatum est in «acclivis» ut et «reclinis». **Acclinis** proprie est de animantibus; **acclivis** vero de aliis rebus. — VERGIL.: «Arboris acclinis trunco». — CAES. *De bell. Gall.*, 6: «Atque ita paulum modo acclinatae quietem cupiunt». — HORAT. in lib. I, *Satyras* 2:

Cum stupet insanis acies fulgoribus, et cum  
Acclinis fatis animus meliora recusat.

TACIT., I, 13: «Iste ut erat reclinis, et nescio similis». — STATIUS, *Sylv.* I, 2:

Tunc ipsam solo reclinem ad fata cubili.

mum. Ita Ioannes Baptista Francesia XVI kal. Febr. ivit de cella ad caelum.

Tenella quum esset aetate, patre orbus, a Beato Ioanne Bosco susceptus est, quem sicut alterum parentem mirifice dilexit. Illius post obitum rerum ab eo gestarum memoriam et verbis extulit, et scriptis tradidit, et versibus ornavit. Primum liberalium artium doctor egregius, dein inter suos dignitate auctus, postremo parietum umbris occultus, unum illud in omni vita contendit, ut is esset sacerdos, qui et placeret Deo et hominibus prodesset. Hinc perseverare in oratione Dei Deique opus facere diligentissime; hinc in Christianorum coetibus creberrime de rebus divinis verba facere; hinc confitentibus peccata sua aditus ad se facillimos praebere. Quam ob rem multis cum lacrimis ei parentatum.

Vale, anima candida. In isto refrigerii et pacis loco omnibus precibus hoc a Deo impetra, ut ipsi quietam et tranquillam vitam agamus mereamurque ingredi in aeternam requiem.

Augustae Taurinorum, postr. kal. Febr. MCMXXX.

I. CERIA.

<sup>1</sup> *De Ordine*, lib. II, c. 19. Item S. THOMAS (*in Comm. anod. in lib. Dionys. De Div. Nom. e Scienza e Fede*, p. 460): «Non est aliquid de numero existentium actu, quod scilicet habeat esse completum, quod non participet pulchro et bono»; S. BONAVENTURA (*in Itin.*, c. II): «Omnia sunt pulchra»; S. HILARIUS (*De Trinit.*, lib. I, c. 7) ex eo quod omnes naturae rerum sunt pulchrae, mundum nomen κόσμον, ornatus accepisse dicit. Cfr. SANSEVERINO, *Elementa Philosophiae Christianae, Ontologia*, n. 178, pag. 103, Neapoli 1873. Cfr. etiam AUG. CONTI, *Il bello nel vero*, vol. I, cap. 2, n. 10, pagg. 29-30, Firenze, Le Monnier, 1872; HENR. KRUG, lib. I, cap. 4, pagg. 45-48; ROSSIGNOLI, *Principi di Filosofia*, vol. II, cap. I, n. 6, pag. 19. S. Benigno Canavese, 1892; D. MERCIER, *Ontologie* (vol. 2, Phil.), n. 277, pag. 557.

<sup>2</sup> *De Vera Relig.*, n. 20.

<sup>3</sup> *De divers. Quaest.*, 83, qu. 6.

**Acta.** — Cicero aliisque «Acta» vocant, quae in pace quis egerit; quae in bello «Res gestas». Cicero illa et «actas res» dicit, ut in *Philipp.* X. Sallustius tamen *acta* usurpat esse in bello. Ita in *Iugurtha*: «Milites alias alium laeti appellant, acta edocent, atque audiunt sua quiske fortia facta ad caelum ferri». Et iterum: «Lacrymans obtestatur per amicitiam, perque anteua sua fideliter acta ne super tali scele re suspectum se haberet». OVID.: «Exitus acta probat»: quamquam mox: «Facta notanda putat».

**Affectare.** — Pro «adficere iter (viam) ad aliquem» probe dictum.

Fortasse sumptum est a gladiatoriibus. TERENTIUS: «Hi gladiatorio animo ad me adfectant viam». — TACIT., I, XIII: «Ne legiones alienae provinciae inferret, in studiaque Galliarum adfectaret...» — PLAUT. in *Aulul.*: «Ut me deponat vino, causa adfectat viam». — VERGIL., *Georg.*, IV:

victorque valentes  
Per populos dat iura, vitamque adfectat Olympo.

**Astrorum affectio.** — Vulgo non satis latine dicitur: «Dispositio»; nam a Cicerone semper ita.

Ex. gr. (*De fato*): «Sic adfectio astrorum valeat»; *De Divinat.*, II: «Etsi ad rem pertinet, quando caelo affecto, compositisque sideribus quodque animal nascatur». Et mox: «Fac in puero referre, ex qua affectione caeli primum spiritum duxerit».

Idem Cicero in *Divin.* II etiam scripsit: «Qui eodem statu caeli et stellarum nati sunt».

**Affectus.** — «Adfectus» pro «Praeditus», apud CICERO, *Off.* I: «Aliquo honore aut imperio affectos observare et colere debeamus». TERENTIUS in *Phorm.*, act. V, sc. VIII: «Tantane affectum quemque etiam hominem audacia?» — Pro «fere

perfectus», Cicero pariter (*De prov. Cons.*): «Bellum adfectum videmus, et vere, ut ita dicam, paene confectum». Ibidem: «Nisi ut ea, quae per eum adfecta sunt, perfecta Reipublicae tradat». — Pro «praedito et debilitato» videtur apud LIVIUM, I, V: «Quae res nisi instauratio sacrorum auspiciorumque renovatio adfectae venienti bello Reipublicae remedio fuit?» Et lib. VI: «Quorum legati spem rebus adfectis orantes, quum Senatum audissent, etc.»

O. GIFANI.

PISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Quomodo Italicum «Cassa di Risparmio» latine dici possit.

G. P., «Almae Romae» socius Mutinensis, JOSEPHO FORNARI s. d.

Quaerentibus amicis quomodo ea, quae vulgo *Cassa di Risparmio* Italice nunquam latine dici possit, magnam rei difficultatem animadvertis, saepe me nihil prorsus reperi plane ab omnibus atque illico intellegatur respondi; alii enim *Societas parsimoniae provehenda*, alii *Mensa parsimoniae*, alii *Urbana parsimonialis domus*, alii a Graecorum huius aetatis lingua *Apotameuterum* proponunt; quae omnia, vel quia a recta latini sermonis consuetudine abhorrent, vel quia parum perspicua sunt, mihi repudianda videntur.

Ipse interdum «aerarium reservantium» vel «nummaria seponentium» cogito, sed vehementer in dubio sum recte necne ita dicatur.

Explica igitur, quaeso, aestum meum, meliora proferens, tu, qui tantam latini sermonis paene cotidie peritiam ostendis, tibique iam nunc maximas gratias ago. Vale.



JOSEPHUS FORNARI humanissimo Mutinensi socio G. P. salutem.

Officiosissima prorsus verba, et a veritate nimis aliena profers, quum peritiam mihi tribuis, quam minime callere sentio. Ut tamen morem tibi, quicumque is fuerit, geram, «Societati parsimoniae provehendae» me confiteor in casu accessurum, si ea dictione collegium virorum intelligentias, qui nummariam mensam considerunt, cui qui privato compendio inservirent, frugalitatis suae exitum in fructum faeneraticum concrederent. Itaque etiam «Collegium... (ex gr. Mutinense) parsimoniae provehendae» nuncupaverim. Si autem definitam rei ipsius, sive, prouti dicimus, officii, notionem exprimere volueris, «parsimoniae arcam» et etiam «mensam» (subaudi «nummariam») tibi suggerere non dubitaverim. Nec puto esse quemquam, qui, in utroque sensu, quid eloqui tibi in mente fuerit non intellegat; intellegeget certe longe magis quam graecanicum istud «Apotamieuterium!»

Minus item mihi placet «urbana» illa «parcimonia domus». In primis, cur urbana? Nisi quod a rurali distinguere cupieris; nam eius generis instituta et in pagis conduntur. Quae enim vulgo Italios casse rurali appellamus, sunt equidem societas ad parsimoniam inter agricolas promovendam, a quibus deposita faeneratica accipiunt. Praeterea adiectivum «parsimoniale» nunquam inveni, neque est necessaria causa qua effingatur. Denique «domus» indicat habitationis locum, revocat incolarum domicilium; quod et cuius domicilium? «Aerarium», contra probaverim, sed non «reservantium», neve «seponentium»; desiderantur namque cognitio rei reservatae aut depositae. «Aerarium parsimoniae» mihi esset summa pecuniae depositae, a parsimonia reservantium collectae.

Ut finem faciam, addam, apud auctores

«parsimoniam» et «parcimoniam» pariter aequaliterque scriptum fuisse; quamquam ad etymon forma cum litera c propius sine dubio accedit.

Utcumque scribere tu malueris, omen benigno vultu accipias, ut redditus tui tales fiant, quos amplissimos in aliquam illiusmodi arcam deponere queas, in quam scilicet cives transferunt, quod unciatum de demenso suo compenserunt; novosque fructus inde uberrimos cumules. Invigila vero ne decoquat, et vale!

### CAMPANIA RIDENS, TE VIDEAM!

Clarissimo Iosue Cacace,  
eleganti musae Latinae cultori.

Huc ego mirificam Sirenem laetus adibo:  
dux erit atque comes blanda Camena mihi.

Auribus excipiam demissos aethere cantus,  
carmina quae vatum docta per ora volant.

Cernam quot volucres habitant myrteta ca-  
[norae,  
latis quot redolent pendula serta viis.

Hinc ego digressus secretos inter amantes,  
mollibus audiero verba remissa modis.

Cessantem tepidis memorans te, Cynthia,  
[Baiis,  
quae feris audiero retia tendat Amor.

Invisam Capreas glauco quae gurgite sur-  
[gunt,  
saxaque caeruleis quae mare lambit aquis.

Invisam Prochyten, exesas aequore cautes:  
concava dum tumidis fluctibus antra so-  
[nant.

Litus et invisam fulvis quod lucet arenis  
et procul Aenariam quae tibi, Liber, ovat.

Denique Pausilypum lauris quod frondet opa-  
[cis,  
hinc Mergillinam quae scopulosa riget.

Nec te, Parthenope, citreis ambita coronis,  
nostris quae studiis otia blanda paras,  
nec te, florifero vernalis quae germine, Nesis,  
linquam versiculis te sine, celsa, meis.

Ast, ubi Sebethus placidis immurmurat undis,  
huc me Sincerus Vergiliusque vocent.

Tunc iuvet, ut quondam, lepidos audire poetas;  
quid moneant Cumae tunc meminisse iuvet.

Tunc lege, Musa, novum roseo sub vespera  
[carmen;  
tunc aliquid vati suggere dulce tuo.

### LAURUS

Ad Raphael Paone.

Vidi laurigeram sinuoso litore frondem,  
fluctibus horrisonis quam tulit unda maris.

Haec mihi Neptuni cecinit quos passa furores,  
imperium, longum quodque peregit iter.

«Quem prius ornasti foliis, frons alma, poë-  
[tam?  
sacro lapsa iugo quae mihi dona refers?»

«Regnat ubi mediis dominator cordibus aurum,  
deserui patrium non redditura solum.

Egregio plaudens tetigi vix tempora vati,  
divo caerulei flamme vecta maris.

Is puro teneros deprompsit pectore versus,  
moribus et priscis reddidit ipse decus.

Lividam contempsit rabiosi murmura vulgi,  
detexit nexos calliditate dolos.

Quid si conspicui vati renuantur honores?  
Emicat in numeris intemerata fides.

Illum concelebrant redolentes margine flores,  
et repetunt versus mobilis aura, nemus.

Me mare nimbifera revocavit voce relictam,  
et raptam fluctu litus ad usque tulit.

Nunc precor, o vates, humili me conde se-  
[pulchro:  
nunc super inscriptum nomen harena ferat.

Cum moriere, tuas rutilo sub sole requiram  
aeternis foliis implicitura comas».

Arretii.

VINCENTIUS POLYDORI.

### COMMUNIA VITAE

#### Mors.

— Quae nunc te habet (movet; capit, angit) sollicitudo? — Quid te exercet (vexat; urget)? — Quid tibi fastidium facit? — Quid te sollicitat (cruciat; premit; afflit)? — Quam molestiam (quam acerbatem; quem dolorem) ex ipsis oculis tuis (ex ore; ex vultu tuo) promanare video ecquid creavit (inussit; commovit; attulit)? — Undenam molestia (dolore) affectus es? — Ecquid animum tuum vehementius hodie exagitavit? — Ecquid hodie te tam anxium habet? — Qua exerceris aegritudine? — Circa quid laboras? — De quo angeris? — Quibus molestiis es implicitus (contristatus)? — Ob quam causam tristitiae te tradidisti?

R. — Ex morte patris (uxoris, filii, etc.) doloris plurimum hausit (cepi; tuli). — Improvisum obitum... (matris, aviae, sororis, etc.) sic tuli, ut omnem amiserim iucunditatem. — Interitus... magnum mihi dolorem (moerorem; angorem; magnam acerbatem; tristitiam; aegritudinem) peperit (creavit; dedit; intulit). — De morte... valde labore (afflictor; angor; excrucior). — Ob mortem... in moerore vesor (in tristitia sum; iaceo; moerore me conficio; aegritudine conficio; sum affectus; premor). — Mortem... (occasum; fatum; letum; excessum e vita; supremum diem; naturae dissolutionem)... moereo. — Ob mortem acerbam (crudellem; immaturam; miseram; repentinam; subitam; necopinatam)... dolore sum afflictus (luctu perditus; angoribus fractus; moerore contabesco, debilito, opprimor). — Tristissimis vexor et conficio curis. — Affactus moerore iacet et languet animus meus. — Iaceo in luctu ac moerore (in moerore ac sordibus). — Tristitia me exedit. — Vita mihi fastidiosa

(acerba; molesta; gravis; amara) facta est. - Vitam fastidio (vitae me taedet) - Vitam mihi acerbam puto (acerbe vivo). - Animum moerori ac tristitiae permisi (dedidi). - In tristitiam me abieci (deieci). - Tristitia habenas laxavi (remisi). - Perculso et abieci (afflito et fracto) animo sum.

- O miseram (infelicem; aerumnosam; calamitosam; infensam; adversam; infecciam; iniquam) sortem tuam! - O miserrimo fato nate, unde... vita decessit? - Unde e vivis excessit (migravit)? - Qua de causa obiit (mortem; diem suum; diem supremum obiit)? - Quomodo defecit (interiit; occidit; desivit; expiravit; mortuus est; periiit; extinctus est)? - Unde animam efflavit (exhalavit)? - Unde extrellum spiritum effudit (edidit) - Unde lucis usuram amisit; (posuit, finivit)? - Unde supremum diem explevit? - Unde e corpore (e medio) excessit? - Unde spirare desivit (desivit inter vivos agere; vita functus est; somno consopitus est sempiterno)? - Unde ab hominibus demigravit (vita est privatus; Deo naturae que concessit; in fata [fato] concessit; mortem oppetivit; mortalitatem explevit; oculos in mortem clausit; extrellum vitae spiritum edidit)? - Ob quam causam animam egit (vitam amisit; vitam deseruit; vitam cum morte commutavit; ab hominibus demigravit; extrellum vitae diem morte conficit; vitae curriculum conficit; morti occubuit)? - Qua morte deletus est (animam edidit; e conspectu hominum sublatu est; rebus humanis ereptus est; vitam [spiritum] reddidit; ex his tenebris ad sempiternam lucem advolavit; istius corporis custodiis est liberatus)?

R. - Subita morte correptus est. - Repente (repentino; subito) mortuus est - Mors hominem repente occupavit (abstulit). - Supremus eum dies ante occupavit, quam instare crederet. - Morte repentina oppressus (ereptus) est. - Nihil cogitante vita deseruit (anima reliquit). - Vis repentina mortis eum sustulit. - E ve-

stigio occubuit. - Fortuita morte absumentus est.

Morbo assumptus (extinctus) est. - Vis morbi hominem consumpsit (vitam homini ademit; vitam abstulit). - Vi morbi oppressus, vitam amisit. - Morbo naturae debitum reddidit. - Aegritudine oppetiit - Morbo finitus (solutus) est.

Vulnus vitae finem attulit (vitam finivit). - Prolapsus in vulnus, moribundus cecidit. - Multis vulneribus confectum anima (ultimus spiritus), defecit. - Accepto vulnere, animam depositum (vitam in vulnere posuit). - Suaciatum spiritus pariter et sanguis liquit. - Liquente spiritu pariter ac sanguine procubuit.

Caede heu! confectus est. - Occisione occubuit - Occisione periiit. - Vi extrellum est. - Morte non sua est defunctus. - A nefaria (scelestia) manu interiit (periiit; cecidit; occidit).

Veneno interemptus est (sublatus; occisus est).

Incendio, hei misero! absumentus est. - Incendio consumptus est. - Igne periiit.

Pestilentia vitam finivit.

Fame (inedia) confectus (enecatus; peremptus) est.

Tabe consumptus est.

In opere emortuus est.

Ex cruditate interitio ei facta est.

Dolore (angore) confectus est. - Per aegritudinem animi animam expiravit. - Animi moerore (moeroris tabe) extrellum est. - Curis obrutus (oppressus) est.

Decrepitus (senex capularis) vita functus est. - Senectute vitam deseruit. - Maturam mortem oppetiit. - Naturae cessit (concessit; satisfecit). - Fatis (in fata) concessit. - Sua morte defunctus est.

Immatura morte extrellum est. - Virenti aetate obiit. - Vita ipso in flore exaruit. - Nimio studio se fregit.

(Ad proximum numerum).

I. F.

## COLLOQUIA LATINA

### Urbanitas morum.<sup>1</sup>

PAEDAGOGUS. - Ingenuum adolescentem decent mores ingentui. Displicet quisquis id aetatis moribus est agrestibus.

TIRO. - Usque tibi morigerus fuisti in rebus omnibus. Etiam instrui urbanitatis legibus atque etiam expeto.

PAED. - Moribus, fateor, non es omnino agrestibus; tamen potes perfici. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, ut adstas?

TIRO. - Assurgo accidenti; compono me in rectum corporis statum; aperio caput.

PAED. - Cetera habeto. Vultus sit hilari modestia temperatus; oculi verecunde intenti in eum, quicum loqueris; iuncti propemodum sint pedes; quietae, nec sint gestuosa manus; nec vacilles alternis tibiis; nec mordeto labra; nec scabito caput; nec aures fodito digitis, nec nares.

TIRO. - Quid si mediter, an capiam?

PAED. - Fac.

TIRO. - Siccine satis?

PAED. - Nondum.

TIRO. - Quid, si sic?

PAED. - Propemodum.

TIRO. - Quid, si ita?

PAED. - Recte, satis est; istuc tene. Necessis inepte loquax aut praecipit. Si quid respondendum, id facito paucis ac prudenter, addito nonnunquam cognomento, honoris gratia. Identidem modice flectas alterum genu, praesertim ubi responsum absolveris.

TIRO. - Placetne specimen aliquod huius rei praebeam?

<sup>1</sup> Ex dialogis familiaribus ANTONII VAN TORRE. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit.

I. F.

PAED. - Per placet. Quantum temporis abfueristi maternis aedibus?

TIRO. - Iam sex ferme menses.

PAED. - Addendum erat: Domine.

TIRO. - Iam sex ferme menses, Domine.

PAED. - Nonne tangeris desiderio matris?

TIRO. - Non nihil sane.

PAED. - Cupis eam revisere?

TIRO. - Cupio, Domine, si id pace liceat tua.

PAED. - Bene habet. Specta praetereunt scholae tuae Praesidem.

TIRO. - Eia! Non observaveram.

PAED. - Non observare ipsa est rusticitas. Pueri quidam in viros honoratos tantum non incurvant capite, nec reverentur; increpiti, id unum causantur: « Non adverteram animum ». Tu deinceps quid acturus es?

TIRO. - Meminero quidem caput aprire.

PAED. - Itidem facito quum praetribis aedem sacram, imaginem Crucis, aut Virginis Matris. In convivio sic te praebebis ilarem, ut semper memineris quid deceat aetatem tuam. Ungues praesecuisse te volo, faciem ac manus probe lavisse. Corpus inter accumbendum in neutram partem inclinet. Cubito super mensam ne innitere. Si nares emungenda, vertito retro caput, quum stropholo uteris. Qui digitos lambiunt, aut lingunt orbes, canum more faciunt. Bibitrus, os abstergito; itidem ubi biberis. Totum ne cyathum epota haustu unico. Ne os cibo tam farcias, ut malae turgeant. Ne invola digitus in fercula, sed postremus omnium admoveto manum patinae.

TIRO. - Si quid mihi datur laetus, ut me geram?

PAED. - Recusat modeste; si instabunt, accipe, et age gratias. Mox tua decerpita portione, quod reliquum est redditio, aut dato alicui proxime accumbenti. Si quis tibi propinet, hilariter illi bene pre-

cator, sed ipse bibito modice; si non sitis, tamen admoveto cyathum labiis. Super mensam loquere pauca, nec fere nisi rogatus. Ne cui obtrectato. Ne cui temet anteponas. Ne tua iactato. Ne aliena despicio. Esto comis, etiam erga tenuioris fortunae sodales. Ne sis lingua futili. Ita fiet, ut sine invidia laudem invenias et amicos pares. Si videris convivium esse diuturnius, salutatis conviviis, subducito te a mensa. Vide, horum memineris.

TIRO. — Dabo operam, mi Praeceptor; numquid aliud vis?

PAED. — Hoc unum, ut coneris exsequi.  
TIRO. — Conabor.

## ANNALES

### Londinensis et Genevensis conventus.

Quae spes circa navalem conventum Londini congregatum ab aditiali Anglorum regis sermone atque a legatorum primis declarationibus enatae fuerant, reapse, hodie usque saltem, eventibus minime sunt confirmatae. Enim Gallia tales rationes de necessariis sibi omnino navaibus copiis in medium profert, quas ceterarum nationum legati, in primisque Italici, ratas habere nequeunt. Dum de iis vehementer disceptatur, supervenit nuncius, administratorum collegium, quum in civili coetu legibus ferendis rogationem suam de vectigalibus reiectam vidisset, a suo munere sese abdicasse; quumque inde vicissim Gallici legati apud Londinensem conventum a suo munere recedere coacti essent, Londinensis conventus actio intermittenda fuit. Rursus, intermissio altera successit vix novo gubernio constituto, quod unum tantum diem vixit: Chautemp

namque eiusque collegae qui idem efformaverant, ubi primum coram popularibus oratoribus constiterunt, fiduciam sibi dengari experti sunt. Reditum itaque est ad Tardieu, atque sperandum est fore ut ab incerto rerum statu proximus exitus inventiatur. Si vero Galli a pervicacibus propositus suis non recedant, oleum et opera desperita profecto erunt.

Iisdem de causis moram subiit et Genevensis Nationum Societatis conventus. Ibi portoria in discrimine versantur, et etiam quomodo inter se rata foedera de Nationum societate et de Kelloghiana pactione conciliari possint; alterum enim nonnullis in casibus bellum assentitur; altera omnino negat.

Quae futura erunt tempus indigitabit.

\*\*

### Pacis foedera.

Nova interim pacifica foedera superiore mense sancta sunt; alterum commercii ab Italia cum Austriacis, pariterque fuit de commercio et navigatione, ab Italia cum Rumenia; tertium nuntiant initum inter Graecos atque Turcas, idque de amicitia, arbitratu et utriusque civitatis classi.

\*\*

### Horrendum in Sinis facinus.

Horrendum in Sinis, a piratis, ut dictant, perpetratum scelus est in Missionales e Salesiana Societate a B. Ioanne Bosco condita: Episcopus enim, eiusque comes, sacerdos, quum tres Sanctimoniales virgines in itinere comitarentur, nefarie impieti atque necati sunt. Italicus Nanchini legatus, gubernii nomine, a Sinensi gubernio scelesti criminis debitas poenas praesenti animo petiit, quas alterum sponsit, nosque confidimus probe daturum.

POPULICOLA.

## ROMA SACRA

### SS. D. N. Pii Pp. XI Litterae Encyclicae de Christiana iuventutis educatione.

In superiore huius Commentarii fasciculo nunciavimus Ss. D. N. Pium Pp. XI vulgari praecipuarum civitatum eloquio litteras encyclicas dedisse de christiana iuvenum institutione, paternae caritatis simul et sapientiae insigne monumentum. Quum hisce diebus earumdem litterarum latinus textus prodierit, facere non potuimus quin eo, ni integra, maxima saltem ex parte, nostras paginas honestaremus.

Ut has litteras ad orbem universum mittet, non solum Sanctissimo Patri pastorale munus suasit, at ipsa nostrae huius aetatis conditio, ipsa quae variis in regionibus scholastica agitatur ac paedagogica controversia, ipsa, quae bene multi hac de re optata non semel Pontifici, fidenti animo, aperuerunt; itemque Eius erga iuventutem actuosa voluntas. Haec causa fuerunt iterum ac consultius pertractandi argumenti, non quidem ut doctrinae eiusque usus amplitudinem paene infinitam vellet Pontifex funditus perscrutari, at quia praecipua saltem, quibus nititur principia ac rationes, breviter explanaret, et ea omnia, quae inde consequuntur atque ad usum pertinent, in sua luce poneret.

« Iamvero, — ait — nunquam, ut nostris hisce temporibus, de educatione tantopere disceptatum est; quam ob rem plurimi novarum de paedagogia doctrinarum magistri ubique exstant, qui novas de hac re effingunt ac disserendo proponunt rationes ac vias, quibus eam iactant se posse educationem assequi, faciliorem scilicet atque efficaciem, qua futurae aetatis homines ad optatam in terris felicitatem adipiscendam satius conformentur.

« Cuius rei haec caussa est, quod videlicet homines, qui, a Deo creati, eius referunt

similitudinem eodemque, perfectissimo bono, aliquando fruituri sunt, ut ex hodierna ipsa terrenarum rerum copia ac progressione facilis animadvertisse non posse bona externa neque privatam afferre neque publicam veri nominis felicitatem, ita, naturae sue ab ipso Creatore insitum, acriorem experiuntur stimulum ad nobiliorem cotidie capiendam perfectioris vitae formam, quam quidem educationis ope potissimum suscipere contendunt. At nonnulli, quasi in nativa verbi significatione nimium insistentes, eiusmodi vitae perfectionem ex ipsa hominum natura expromere enituntur eiusque viribus tantum ad effectum adducere. In quo facile ii quidem errant, quandoquidem non ad Deum, universitatis rerum principium atque finem, oculos animosque intendant, sed in se ipsos inflectunt, terrenis fluxisque rebus haerentes toti: unde profecto fiet, ut iidem perpetua animorum fluctuatione ac perturbatione fatigentur, usque dum ad Deum, virtutum omnium unam veluti metam, mentem operamque suam convertant, secundum grandem illam Augustini sententiam: « Fecisti nos, Domine ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te». <sup>1</sup>

« Res igitur maximi momenti est, in iis quae ad educationem attinent non falli, haud aliter quam ab ipso supremo fine non aberrare, ad quem quidem quaelibet educationis opera necessario dirigitur. Etenim, quoniam omnis educandi ratio ad eam spectat hominis conformatiōnem, quam is in hac mortali vita adipiscatur oportet, ut destinatum sibi a Creatore finem supremum contingat, liquido patet, ut nulla veri nominis educatio esse potest, quae ad finem ultimum non ordinetur tota, ita, praesenti hoc rerum ordine Dei providentia constituto, postquam scilicet se ipse in Unigenito suo revelavit qui unus via, veritas et vita est, plenam perfectamque educationem dari non posse, nisi eam, quae christiana vocatur. Quapropter manifesto

<sup>1</sup> Confess., I, 1.

apparet, christianam educationem caussam esse sane gravissimam, quod attinet non modo ad singulos homines, sed ad domesticam etiam civilemque consortium, cuius quidem summa vis atque virtus ex ipsa vi atque virtute eorum profecto oritur, ex quibus eadem tamquam elementis constat. Itemque ex hisce principiis, quae adhuc attigimus, dilucidum est quam praestabilis sit, prae ceteris omnibus, christiana educationis opera, quippe quae eo potissimum spectet, ut summi boni, nempe Dei, possessionem adolescentibus educandis comparet, et humanae societati maxima, quoad in terris fieri potest, emolumenta ac commoda pariat. Idque efficaciore prorsus modo ea assequi nititur, quandoquidem homines, eiusmodi inceptum provehentes, ipsi Deo navant operam, ut auctiori civium profectui privatum publice prospiciant; educatores enim iuvenum animos ita effingunt ac movent, ut eorum vitae cursum vel in posterum quodammodo dirigant, divina testante Sapientia: « Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea ». <sup>1</sup> Merito igitur hac de re scripsit S. Ioannes Chrysostomus: « Quid maius quam animis moderari, quam adolescentium fingere mores? » <sup>2</sup>

« At nihil profecto christiana educationis amplitudinem dignitatemque, nihil supernaturalem eius praestantiam magis ostendit, quam amantissima illa verba, quibus Christus Dominus, quasi suam pueri gererent personam, asseveravit: « Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit... » <sup>3</sup>

« Iamvero ut in hac maxima gravitatis opera non modo errores praecaveantur, sed etiam ut, divina suffragante gratia, ad prosperiorem successum muniatur via, omnino necesse est ut hoc plane exploratum sit, scilicet quid sibi velit christiana educatio qui-

<sup>1</sup> Prov., XXII, 6.

<sup>2</sup> Hom. 60, in c. 18 Matth.

<sup>3</sup> MARC., IX, 36.

busque nitatur principiis: id est, ad quem educandi munus pertineat et quisnam educatione indigeat, quae praeterea opus est intercedere rerum adjuncta, ac denique quae sit, ex rerum ordine a providentissimo Deo constituto, propria christiana educationis ratio eiusdemque propositum».

Hac dicendi partitione posita, pergit Pontifex:

« Educandi munus non singulorum hominum, sed necessario societatis est. Tres vero numerantur societas necessariae, inter se distinctae at, Deo volente, congruenter copulatae, quibus quidem homo ab ortu suo adscribitur: harum duae, domestica nempe ac civilis consortio, naturalis ordinis; ac tertia, Ecclesia nimirum, supernaturalis. Primum obtinet locum domesticus convictus, qui, cum ab ipso Deo ad eiusmodi propositum constitutus ac comparatus sit, ut sobolis procreandae educandaeque curam habeat, idcirco natura sua, adeoque iuribus sibi propriis, civili societati antecedit. Nihilo sensitius familia ideo imperfecta est societas, quia non omnibus iis rebus est praedita, quibus nobilissimum propositum suum perfecte assequatur; civilis autem congregatio, cum omnia in sua facultate sint ad destinatum sibi finem, videlicet ad commune terrestris huius vitae bonum, necessaria, societas est numeris omnibus absoluta ac perfecta; hac igitur de causa domestico convictui eadem praestat, qui quidem in civili solummodo consortione institutum suum tuto riteque absolvere potest. Tertia denique societas, in qua homines, per baptismatis lavacrum, divinae gratiae vitam ingrediuntur, Ecclesia est, supernaturalis quidem societas, universum humanum genus complectens, atque in se perfecta, cum sibi omnia suppetant ad finem suum, sempiternam nempe hominum salutem, consequendum, ideoque in suo ordine suprema.

« Consequens est, educationem, quae ad totum respicit hominem, qua hominem siungillatim quoque societatis humanae partici-

pen, sive in naturae sive in divinae gratiae ordine constitutum, ad necessarias has societas tres, fini cuiusque proprio congruenter, pro praesenti ordine divinitus constituto aequabiliter pertinere».

Ac praestantiore quadam modo, ea ad Ecclesiam pertinet, dupli scilicet titulo ordinis supernaturalis, quem Deus ipsi tantummodo contulit, adeoque potiore omnino ac validiore quam quilibet aliis naturalis ordinis titulus.

Prima iuris huiuscemodi ratio in supra magna auctoritate ac munere nititur, quod divinus Ecclesiae Conditor eidem tradidit. <sup>1</sup>

« Huic magisterio Christus Dominus erroris immunitatem impertivit, una cum mandatis docendi omnes doctrinam suam; quapropter Ecclesia «columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem, iuxta revelatae doctrinae normam, dirigat et fingat... » <sup>2</sup>

Altera iuris ratio e supernaturali illo oriatur matris munere, quo Ecclesia, purissima Christi sponsa, divinae gratiae vitam hominibus largitur, eamque sacramentis praecipitatisque suis alit ac provehit.

« Unde necessario consequitur Ecclesiam, ut in sui educandi muneri causa, ita in eiusdem exercitatione, nulli terrenae potestati subiici, cum in iis rebus ad quas suum proprium munus spectat, tum in iis quae sunt eidem exsequendo necessaria vel consentanea. Quam ob rem quod ad ceteras attinet disciplinas humanasque institutiones, quae per se communis omnium iuris sunt, singularium civium nimirum ipsiusque societatis, facultatem habet Ecclesia, nulli sane potestati obnoxiam, hisce quoque disciplinis utendi de iisdemque praecipue iudicandi,

quatenus eaedem ipsae christiana educationi aut conducere aut obstare videantur. Idque potest Ecclesia, sive quod, ut societas est perfecta, sui iuris est in praesidiis adiumentisque diligendis sibique comparandis, quae ad finem conferant suum; sive quod quaelibet doctrina atque institutio, perinde ut omnis hominum actio, ex ultimo fine necessario pendet, adeoque divinae legis praceptis non subiici nequit, cuius quidem Ecclesia est erroribus omnino immunis custos, interpres ac magistra ».

Traditis hic ad rem sententis et Pii Pp. X<sup>1</sup> et ipsius laici viri, Alexandri Manzoni,<sup>2</sup> epistola prosequitur: « Litteras igitur, scientias et artes, quatenus ad christianam educationem ad omnemque suam de animarum salute operam sunt necessariae vel utiles, Ecclesia promovet, suas etiam scholas, instituta sua condendo sustentandoque, ubi quaevis disciplina tradatur et ad quemlibet eruditio gradum fiat aditus. <sup>3</sup> Nec putanda est ab materno eius magisterio aliena ipsa, quam vocant, physica educatio, cum ea quoque id habeat ut christiana educationi aut prodesse aut nocere possit ».

Atque haec in quovis animorum culturae genere Ecclesiae actio, quemadmodum summo est familiis nationibusque adiumento, quae, Christo sublato, in interitum ruunt,<sup>4</sup> « ita civili harum rerum temperationi nullum affert incommodum; Ecclesia enim, mater ut est prudentissima, cum minime obsistat quominus scholae et instituta laicis educandis sua, in unaquaque natione, se ad legitima gubernatorum praescripta conformit, tum parata quoquo modo est cum ipsis gubernatoribus concordiam inire, et, si quae forte difficultates oriantur, eas communi consilio dirimere ».

« Est praeterea Ecclesiae et ius, quod

<sup>1</sup> MATTH., XXVIII, 18-20.

<sup>2</sup> Pius IX, Ep. enc. *Quum non sine*, 14 Jul. 1864.

<sup>3</sup> Epist. enc. *Singulari quadam*, 24 Sept. 1912.

<sup>4</sup> *Osservazioni sulla Morale cattolica*, c. III.

<sup>5</sup> Codex iuris canonici, c. 1375.

<sup>6</sup> Commentar. in Matth., cap. 18.

abdicare, et officium, quod deserere nequit, pro tota vigilandi educatione, qualiscumque filii suis, scilicet fidelibus, in institutis vel publicis vel privatis impertitur, non modo quod attinet ad religiosam, quae ibidem tradatur, doctrinam, sed etiam quod ad quamlibet aliam disciplinam rerumve ordinationem, quatenus cum religione morumque praecipitis aliquid habeant necessitudinis.<sup>1</sup>

« Atque Ecclesia, ius eiusmodi exercendo, non se in aliena perperam immiscere videatur, immo potius materna quadam, eademque insigni, providentia consulere, ut filios suos ab gravi tueatur incolumes periculo omne virus imbibendi, quod doctrinae integritatem morumque sanctitudinem inficiat. Quae quidem Ecclesiae vigilantia, ut nullum potest verum parere incommodum, sic nequit ad familiarum et Civitatis ordinem prosperitatemque non efficaciter conducere, cum ab adolescentibus illam arceat pestem, quae in aetatulam imperitam ac mobilem facilius ingruere et celerius in ipsum vivendi morem permanare solet. Quotiescumque enim recta deest religiosa ac moralis institutio "male sana omnis futura est animorum cultura: insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahentur".<sup>2</sup>

« Munus autem educandi, quod in Ecclesia insidet, ad omnes populos, nullis locorum temporumque finibus, pertinet, ex Christi mandato: "doce et omnes gentes",<sup>3</sup> nullaque in terris potestate legitime oppugnari ac praepediri potest. Atque primum omnes christifideles attingit, quorum ipsa magnam, uti amantissima mater, curam habet ac sollicitudinem. Propterea in eorum utilitatem, saeculorum decursu, ingentem scholarum institutorum-

que numerum quibusvis disciplinis tradendis excitavit ac provexit; etenim ... per remotiorum illam medium aetatem cum tam frequentia erant (fuit qui ea vel nimirum multa diceret) monasteria, coenobia, templa, conlegiatae ecclesiae, capitula aut cathedralia aut cathedralibus inferiora, apud haec singula domicilium scholasticum, domicilium alumnis instituendis educandisque non deerat. Ad haec omnes studiorum Universitates adiicit, ubique, Apostolica Sede atque Ecclesia auspice, conditas in eiusdemque praesidio collocatas. Pulcherrimo enim eiusmodi spectaculo - quod hodie multo adspicimus melius, cum ante oculos sit et sit idem, ut tempora ferunt, magnificens - nullae aetas caruerunt; quotquot autem eventa recolunt et inter se comparant, ii mirari non desinunt quantum Ecclesia hoc in genere egerit et quomodo commissum sibi divinitus munus expleverit conformandae ad christianam vitam societatis humanae, tot tamque laetos adipiscendo fructus atque exitus. At vero si facere nemo potest quin demiretur, Ecclesiam nullo non tempore alumnos, quos pro officio educaret, ad centena, ad milia, ad decies centena milia, circum se collegisse, haud minorem profecto administrationem habet quidquid ipsa egit non modo in adolescentium educatione, sed etiam in eorumdem, quae vere ac proprie dicitur, institutione ac doctrina. Si tot enim civilis cultus, humanitatis litterarumque thesauros servari licuit, habitui ac proposito Ecclesiae tribuendum est, quae, vel per remotissimas barbarasque aetas, effecit, ut litteris, philosophiae, arti, architecturae potissimum, tantum lucis affulgeret.

« Atque id omne agere idcirco potuit igitque Ecclesia, quia creditum sibi educandi munus infideles quoque complectitur, cum is sit hominibus universis constitutus finis, ut, Regnum Dei ingressi, aeternam salutem assequantur. Quemadmodum enim, temporibus hisce nostris, Iudorum milia catholici missionales per omnes regiones disseminant Fidei adhuc exsortes, ab utraque Gangis r

<sup>1</sup> Cod. iuris can., cc. 1381, 1382.

<sup>2</sup> LEO XIII, Ep. enc. *Nobilissima Gallorum gens*, 8 Febr. 1884.

<sup>3</sup> MATTH., XXVIII, 19.

ad Flumen Flavum amplissimasque Oceani insulas, ab continenti Africo ad Patagoniam inferiorem ad gelidamque Alaskam, sic, superioribus saeculis, Ecclesia per suos evangelii praecones ad christianam vitam atque humanitatem varias illas gentes informavit, ex quibus christiane civilis orbis nationes in praesenti constant.

« Itaque pro explorato est, tam iure quam re ipsa educationis munus praecipua quadam ratione esse Ecclesiae proprium, et neminem posse, qui animum habeat ab praeiudicatis opinionibus vacuum, iustum aliquam cogitare causam cur ea ipsa Ecclesiae oppugnetur impediaturque opera, cuius hodie beneficii societas humana perficitur. Idque eo magis, quod cum praecipuo eiusmodi Ecclesiae iure non modo non discrepant, sed etiam iura omnino congruunt et familiae et Civitatis, immo vel ipsa quae in singulis civibus insunt ad iustum quod attinet cum scientiae, tum rationis ac disciplinae in ea pervestiganda, tum denique cuiusvis culturae animorum profanae libertatem. Etenim, ut talis concordiae causam atque originem, nullam moram, declareremus, supernaturalis ordo, in quo iura Ecclesiae nituntur, tantum abest ut naturalem ordinem, ad quem alia pertinent, quae memoravimus, iura, destruat atque extenuet, ut, contra, eundem extollat ac perficiat: quorum quidem ordinum alter auxilium et quasi complementum alteri praestat, sua cuiusque naturae ac dignitati consentaneum, cum ambo a Deo profluant, qui non constare sibi non potest: « Dei perfecta sunt opera, et omnes viae eius iudicia ».<sup>1</sup>

Quae quidem res clarius apparebit, si educandi munus, quod ad familiam et Civitatem pertinet, seorsum propiusque consideretur:

« Atque primum cum Ecclesiae munere familiae munus mirifice concordat, cum utraque a Deo simillime proficiatur. Namque cum familia, in naturali ordine, Deus proxime

<sup>1</sup> Deut., XXXII, 4.

<sup>1</sup> S. TH., 2 - 2, Q. CII, a. 1.

<sup>2</sup> S. TH., 2-2, Q. X, a. 12.

<sup>3</sup> Cod. iur. can., c. 1113.

paternae amplificatio quaedam personae, propterque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem".<sup>1</sup> Itaque: "Patria potestas est eiusmodi, ut nec extingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium",<sup>2</sup> ut Leo XIII docet in iisdem Encyclicis Litteris. Unde tamen non sequitur, ius educandi, quo parentes fruuntur, absolutum esse atque imperiosum, utpote quod et fini supremo et legi naturali divinaeque coniunctissime subiicitur, quemadmodum ipse Leo XIII in memorabilibus illis Encyclicis Litteris, ubi de praecipuis civium christianorum officiis, declarat, ita iurum et officiorum, quae parentes contingunt, summam complexus: "Natura parentes habent ius suum instituendi quos procurarent, hoc adiuncto officio, ut cum fine, cuius gratia sobolem Dei beneficio suscepissent, ipsa educatio conveniat et disciplina puerilis. Igitur parentibus est necessarium eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent iniuriam, omninoque pervincant ut sua in potestate sit educere liberos, ut par est, more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietas".<sup>3</sup>

Animadvertisendum autem est, officium educandi, quo familia obstringitur, non modo religiosam ac moralem educationem complecti, sed etiam physicam et civilem, pro ea potissimum ratione quam cum religione et morum doctrina habent.<sup>4</sup> «Istud vero, quod nullam controversiam recipit, familiae ius haud semel est legitime agnatum apud quasdam nationes, ubi ius naturae in civili servare regimine sollempne est. Etenim, ut exemplum ex recentioribus proferamus, Summum Foederatarum Americae Civitatum Tribunal,

cum gravissimam quaestionem dirimeret, edixit: "nullam generalem potestatem Civitatis esse unius eiusdemque formae decernendae, ad quam iuventus educi debeat, huiusque cogeniae ut in publicis tantummodo scholis instituatur", ob hanc scilicet rationem ex iure naturae depromptam: "Puer non est mera res a Civitate procreata; qui eum alunt ac dirigunt, ius habent, cum nobilissimo officio coniunctum, ipsius educandi et ad officiorum perfunctionem comparandi".<sup>1</sup>

Testis historia est, rerum publicarum gubernatores, recentiore praesertim aetate, iura violasse ac violare, quae humani generis Conditor familie contulit: testis eadem invicta, Ecclesiam eiusmodi iura continentem tutatam esse ac defendisse; atque historiae testimonium hoc ipso aptius confirmatur, quod familliae peculiarem in modum Ecclesiae scholis confidunt. «Paternus enim sensus, qui a Deo est, ad Ecclesiam sese fiderent convertit, in qua familiarium iurum tutelam inventurum se novit eamque demum concordiam, quam Deus in ordine rerum collocavit. Ecclesia enim, quamvis - ut est conscientia, cum munera sui divini ad universos pertinentis, tum obligationis, qua universi tenentur, unius verae religionis amplectendae - nunquam desinat et sibi ius vindicare et in parentum catholicon memoriam redigere officium prolixi sue baptismi eluendae christianeque educandae, iuris tamen naturalis educandi, quod familie est, sanctitatem tam studiose veretur, ut nolit, nisi certae quaedam condiciones cautionesque adsint, infidelium filios baptizare aut aliquo pacto educendos curare, donec tales filii per se ipsemet deliberare et Fidem libere amplecti queant.<sup>2</sup>

(Ad proximum numerum).

<sup>1</sup> Ep. enc. *Rerum novarum*, 15 Maii 1891.

<sup>2</sup> Ibidem.

<sup>3</sup> Ep. enc. *Sapientiae christiana*, 10 Ian. 1890.

<sup>4</sup> Cod. iur. can., c. 1113.

<sup>1</sup> U. S. Supreme Court Decision in the School Oregon Cases, June 1, 1925.

<sup>2</sup> Cod. iur. can., c. 760, § 2; S. Th., 2-2, Q. 10, a. 12.

## VARIA

### COLLEGIS AMICIS SODALIBUS IN ANNUM MCMXXX VOTA

*Ex quo vota tuis occipi, Ian, kalendas  
mittere romano carmine, quintus ades;  
teque eadem latiis reduci committo Camenis  
rite fere da bonae pignus amicitiae.  
Nec te dispiceat de more, sodalis, adiri,  
te solvere quibus musa latina iubet.  
Prospera cuncta fluant, nil ioto intercidat  
[anno,  
unde tibi moestum pectus amaror agat;  
quicquid at optaris Superi dent, oro, benigni,  
Sorsque lares ineat semper amica tuos:  
quasque colis, minimi factas compluribus artes  
— praestat enim menti calx animoque to-  
rus —  
si non divitias merito certamve crumenam,  
solamen, paucis quod patet, usque ferant,  
ut qui Virgilium cunctis memor ore sonabit  
laurea concedat Phoebus habere tibi.*

*Haec modo dictabam e patriis bona verba  
[Piastri;  
haec tibi felici suscipiantur avi!*

Le Piastre (Pistoia) ips. kal. Ian.

ALAFRIDUS BARTOLI.

\*\*

### Aedes S. Ianuario dicata Neapol.

Excitatur ad latus principis templi (Neapolitanii) aedes, exemplar veteris magnificentiae, quam fortasse quispiam, rhetorum more, inter orbis terrae miracula numerandom diceret, nisi prodigium illud vividi sanguinis, cui dedicatur, magnitudine sua faceret, ut opus tam egregium non habeat.

<sup>1</sup> Ex opere P. MASCULI, *De Vesuvio*, lib. 2.

tur mirum. Sumpitus est ex aerario Civitatis ducentorum et amplius millium aureorum: augusti potius templi, quam aedis opus. Paries omnes quae sitorum lapidum crustae operiunt: quot marmora, tot specula; in quibus et magnificentia simul et pietas huius urbis repraesentatur. Non est cur Alexandrina marmora, cur Numidica, ac cetera quae antiquitas est admirata, magnopere desideres; omnia candido varioque lapide distincta; in his mira ludentis naturae spectacula. Videas quasi fluminum lapsus ac maeandros; dum currit, unda moratur; dum fluit, stat; spumant quasi collisi fluctus, et scopulus ipsum marmor est. Maculosa sunt multa, sed nihil purius huiusmodi maculis: ipsa labes decus est. Intercurrent quasi per artus venae, et quaedam puniceas habent veluti guttas, quae omnes Ianuarii deserviunt sanguini e venis effuso. Nonnulla candidis et quasi lacteis zonis praecincta sunt; et ob venustatem, si fas est dicere, quasi virginis cesto. Colore sunt vario, sed in unum redeunte concentum, suavitate inenarrabile: color his subniger est, sed tamen laetus; pallidus aliis, sed pallor eximiam habet gratiam; in nonnullis viriditas est, nec evanida, nec senescens; dos omnium est in imitatione gemmarum, iaspidis, pyropi, haematitiae, smaragdi et aliarum. Quocumque incident oculi, gratissima est eorum refectio.

Idem in columnis decus et species; quadraginta intra aedem sunt: complectuntur quaterae Patronorum statuas, quae intra marmoreas veluti conchas inclusae sunt. Nihil est quod in columnis non admirere: non modo naturae laudabis, sed artis decus: epistylia, scapos, spiras, stylobatas, in astragalis hypotrichelia, in zoporis metopas, volutas item, sive elices, strias sive canaliculos, omnia mira arte perfecta. Non modo nitor in iis, sed splendor quidam vibrans. Denique diem sibi aedes ipsa facit suum; quid quum sole

9 MAR 40

illustrabitur suo? Quum, inquam, Ianuarii simulacrum in ara principe statuetur cum aureo amiculo et illuminata gemmis tiara, soli, qui Mitras est dictus, quam simillimum? Habent reliquae arae plurimum ornamenti atque splendoris: superne veluti Genii e candido marmore corollas aut aliquid simile gestant. Quatuor odaea sibi respondent cum septis item marmoreis. Porro ceterarum partium dignitati pavimentum quoque par est, distinctum ac tessellatum emblemate vermiculato. Eminent vero superne atque incumbit operi ingens hemisphaerium aureum. Extremus hic labor est, imago quaedam illius caelestis, nisi quod figuris differunt: in stellifero namque Perseus, Hercules, Cepheus fabulis incliti; in hoc vero Patroni huius civitatis cum rebus praeclare gestis expressi. Iam ante fores praecipua magnitudine et specie admiranda columnae sunt duae, tribus millibus aureorum coempta, ut fores ipsae magnificentia sua aedem ineuntibus significare videantur quale spectaculum sint adituri.

\*\*

### Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO IEIUNII DIE:

*Iusculum ex pane, iure piscium ma-  
dido.*

*Gadus morrhua, cum garo crustato.  
Lixulae, Romanorum more actae.  
Anguillae in craticula tostae.  
Scriblitulae amygdalinae.*

\*\*

### Locosa.

Tuccius Patri: — In somnis visus sum bicyclulae dono a te muneari.

PATER: — Vae! Somniis fides non est adhibenda.

Insequenti die, Tuccius Patri: — Su-  
periore nocte tu mihi in somnis apparuisti  
bicyclulae donum denegans ...

Pater Tuccio: — Pinus, condiscipulus  
ille tuus, vere puerorum exemplar dici  
potest: diligens, oboediens, verecundus...  
Fortunatissimum me dicerem, si, potius  
quam tuus, eius pater essem.

Tuccius: — Ah, perbelle quidem tibi  
contigisset! Pater enim Pini, automobili  
curru elitus, duos iam annos obiit!

### Aenigmata.



I

De numeris, lector, qui nos cantusque so-  
[nusque]  
Flectere rite docent, apte tres iungere cura:  
Triticæ hinc, nutrit quæ multa medulla fa-  
[rinae].

II

Iam iam grandaevæ tale est mirabile nomen,  
Ut dicens retro rite nepos vocitet.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1) *Harundo, Hirundo, Hirudo*, 2) *Iaspis*.

### Libri dono accepti.

EURIPIDE, *Ifigenia iu Aulide*. Traduzione  
di Francesco Bocchi. - Mutini, ex off. Fer-  
raguti, 1930. (Ven. lib. 7).

SILVIO ANTONIANO, *Dell'educazione cri-  
stiana e politica dei figlioli*. Libri tre. Scritto  
ad istanza di San Carlo Borromeo. Nuova  
edizione a cura e con introduzione di Leo-  
poldo Bogliani. - Augustae Taurinorum, ex  
off. Paraviana. (Ven. lib. 26).

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanæ.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS